



Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismvs
Catholicus, summam Christianæ institutionis IIII. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

1. Quid sit mendacium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

fratres &cæ. Ideò Gerson dans remedium contra detractionem, inquit: Cogitet primùm detractor propriam suam fragilitatem & defectum. nam iustus in principio est accusator sui ipsius. Deinde cogitet, si forte fuisset ipse in tali statu & occasione, sicut ille fuit, similiter cecidisset. Est enim multiplex occasio peccandi, deinde cogitet, quām periculose sit alium seruum iudicare, qui Domino stat aut cadit, Romanor. 14.

CAPVT XVII.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit mendacium.*
2. *Cui similis sit mendacioquus.*
3. *Quam grauiter puniatur à Deo.*

MENDACIUM est falsa locutio contraversitatem & conscientiam fallens, & hoc maximè prohibuit Deus, cū dicit Mat. quinto: Sit sermo vester, Est est, Non non. Et Zachar. 8. Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo. Hæc verba ad Ephes. quarto repetit Apostolus, & adiungit, quando inuicem sumus membra. Anima enim nostra nihil adeò desiderat, quām scire veritatē in rebus omnib. sed hoc quod homo desiderat, i. veritatē ab alijs, ipse non dicit alijs: hoc enim vitium mentiendi venit à Diabolo, qui primum commisit mendacium, Gen. 3. inquiens: Nequaquam moriemini &c. vndē dicitur pater mendacij, & Spiritus mendax. Quotquot ergo mendacijs assueuerunt, filij sunt diaboli, sicut Christus exprobrat Iudeis: è diuerso qui filij Dei sunt, veritatem amant & loquuntur &cæt. Est multiplex mendacium: Iocosum, quod licet sit sine damnatione alterius, id est, dum recitatur fabula, est tamē verbum ociosum, de quo homo cogetur reddere ratio-

nem,

Ioan. 8.

3. Reg. 22.

Ioan. 8.

nem, Matth. 12. deinde est mendacium officiosum, id est, non δ tenet, quale erat obstetricū in Aegypto, Exo. 1. & Michol vxoris Dauidis, 1. Reg. 19. Tertiō est perniciosum mendacium ad fallendum & decipiendum proximum, quale erat mendacium Iudaeorum, quod spargebant de discipulis Christi, quod corpus ipsius ex sepulchro furati essent. Eiusmodi mendacia multa Matt. 23. tūm sunt perniciosa fidei, & veritatē impediunt &c. lingua hominis multa in se habet periculosa vitia, nempe mendacium, detractionem, maledicentiam, adulatioinem, turpiloquium. De adulatioine autem dicitur Eccles. 7. Melius est à sapiente corrigi, quam stultorum adulatioine decipi. hoc vitio adulatiois paucissimi hominum carent &c. Huiusmodi verò plerunque inueniuntur in aulis principum ac regum, & sunt pestes nocentissimae, neque aliquid nocentius inuenitur lingua adulatiois. Psalm 54. Molliti sunt sermones eius super oleum. Ideò Ezech. 13. maximè inuehitur contra adulatores, dicens: Hæc dicit Dominus, Væ qui consuunt puluillo sub omni cubito &c. Esai. 3. Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt. est quoque vitium linguæ, in sermone & verbis esse bilinguem, quod parit omne malum. Proverb. 8. Os bilingue detestor, hoc vitium maximè abominatur Apostolus 1. Timot. 3. & qui tales sunt, indignos dicit episcopatu. & Iacob. 3. cōtra hoc vitium inuehitur, vt suprà recēsuimus, & Apostolus 2. Thes. 2. inquit: Ideò mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, & iudicentur omnes qui nō crediderunt veritati, sed cōsenserunt iniuitati. Qui enim dulcem veritatem cōtemnit, dignus est ut mendacijs satietur.

Secundo, lingua mendax similis est scintillæ ignis, quæ totam syluam accendit: item lingua intemperans est peior serpentibus, volucribus & bestijs, quæ domari possunt: sed linguam nemo domare potest. 2.